


05

A

848





9
QVÆSTIONES ALLI-
QUOT POLITICÆ,
De
PARENTUM
IN LIBEROS PO-
TESTATE,

Quas
DEO BENE JUVANTE,
Senatu Amplissima Facultatis Philoso-
phica in celeberrimâ & illustri Wittebergenſi
Academiâ approbante,

SUB PRÆSIDIO

Viri Preſtantiffimi & undiquaq; Literatiſſimi,

Dn. M. TOBIAE HERMANNI
Memmingâ Suevi, ejusdem Facultatis
Adjuncti digniffimi,

Publicè examinandas exhibet

JOHANNES FRIDERICUS BOCK,
de Fahendorff.

Ad diem 19. Auguſti, in auditorio Majori.

WITTEBERGÆ

Excudebat AUGUSTUS BORECK,

ANNO M. DC. XX.



NOBILISSIMO,

Raræq; Indolis Adolescenti,

Dn. GOTHEFRIDO LIENPACH-
CHER, MAGNIFICI ET GE-
NEROSI VIRI,

Dn. JOHANNIS LIENPACHER,
Sacrae Cæsareæ, Regiæq; Majestatis
Camerae, quæ est Gremnicij in Hungariâ
citeriore, Camerarij dignissimi,

Filio ut unico, ita dilecto,

*Commilitoni olim suavissimo in an-
tiqua amicitia pignus certissi-
mum; hoc Academicum*



05 A 242

Γύμνασια

D. D. D.

Joan. Fridericus Bock
de Fahendorff.

Autor & Respondens.





QUÆSTIO I.

Virum iure naturali Parentibus competat potestas in liberos? A.



PRIPARTITUM esse Jus privatum in aprico est: Collectum enim est (ut inquit Sacratissimus Imperator Justin. §. fin. Inst. de Just. & Jure) ex Naturalibus præceptis, aut Gentium, aut Civilibus. Unde Jus nuncupari Naturale, Gentium & Civile consuevit. t. r. Inst. de I. N. G. & C. Cujus ergo ex enumeratis Juris speciebus Patria Potestas sit, hac quæstione controversâ satis inter Politicos & Ictos ambigitur.

Propriam eam esse, Juris Civilis Icti pleriq; contendunt. Sunt, qui Jure introductam Gentium affirmant.

Pro naturali nos, relictis illorum argumentis, pugnaturi sumus, non solum cum Politicis, sed magni etiam nominis Ictis, nostræque assertionis sequentia sunt fundamenta.

I. Parentes esse honorandos, ijsq; obediendum, à DEO & naturâ mentibus & animis uniuscujusq; nostrum insitum est, & implantatum. Quod satis superq; probat Lex prima secundæ Tabulæ in Decalogo, præcipiens cum primis, ut honore debito parentes prosequantur liberi, ijsq; morem gerant. Hæc rota ex principijs nobiscum natis educitur, & explicatam naturæ legem continet, passimq; in Biblijs ingeminatur, ut videre est in *Exod. 20. v. 12. Levit. 19. v. 3. Deut. 5. v. 16. Colos. 3. v. 20. Ephes. 6. v. 1. & seqq.*

A 2

Cum



Cum igitur Obedientia hæc, quæ ex naturalibus LL. de-
promitur, præsupponat potestatem, tanquam suum correla-
tum, sequitur hoc ipsum esse Naturale. Vid. *Arnis. in Relect.*
Polit. c. 4. l. 1. p. 229. §. Libentib. coll. Pol. exerc. 4. q. 1.

II. Deinde Philosophi etiam uno omnes ore docent, Pa-
triam Potestatem non aliunde, quàm à natura ipsa, tanquam
fonte suo nativo profluere. Arist. enim 8. *Etb. c. 11.* scribit:
Naturâ præesse patrem filijs, majores nepotibus, regem ijs, qui-
bus regnat. Item 1. *Pol. c. ult.* Superans ætate & perfectum ad im-
perandum aptius, quàm id, quod ætate superatur, & imperfe-
ctum.

Jam verò constat, naturâ, Parentes perfectiores esse libe-
ris. Ergò &c.

Plutarch. etiam in lib. de Frat. amor.

Πάντες, inquit, λέγασσι ἢ ἀδασιν, ὡς γονεῦσι λιμήν, μετὰ θεῶν,
πρώτην ἢ μέγιστην, ἢ τε φύσις, ὅτι τὴν φύσιν σώζων νόμος ἀπέ-
δωκε.

III. Addimus deniq; quòd modus præcipuus Patriam
Potestatem constituendi Nuptiæ scilicet Juris Naturæ esse
censeantur in prin. Inst. de J. N. G. & C. Videmus enim o-
mnia propè animalia. Juris ejus peritià censerì, inquit textus;
Quid ergò, subsumimus nos, obstat, quò minus etiam inde
accerfamus Potestatem Patriam? quia pullos omnes Paren-
tibus cedere & obsequi in naturæ hoc theatro experimur. Ar-
nis. suprâ cit. loco.

QUÆSTIO. II.

*Virum Patria Potestas usq; ad vitam li-
berorum & mortem possit
extendi? N.*

Postquam probatum dedimus ex naturali, adeoque in-
sculptâ

sculpā omnium hominū animis ratione, Patriam potestatem
promanare, operæ fuerit pretium quærere, an se usq; ad ne-
cem liberorum extendat?

Olim quidem, si Historiographos recolimus, Parentes
jus necis & vitæ obtinuisse in liberos constat. Persas enim
crudelē in filios dominationem exercuisse, paternâq; po-
testate abuti solitos fuisse refert. *Cælius Rhodig. lect. Ant. l.*
11. c. 17.

Eandem Romanos credulitatem in filijs & in filiabus
suis exercuisse, aliquot exemplis ostendit *Val. Max. l. 5. c. 8.*

Sed liberorum illa severior coërcitio, vitæq; & necis ar-
bitrium, ut desuetudine paulatim, ipsam propter atrocitatem,
deinde Principum rescriptis abrogata fuit: itâ non sine ma-
gnâ ratione cessat, & prohibita nunc est ubique, eruditè ut lo-
quitur *Besold. in Polit. l. 1. c. 10. §. 5.*

Quamvis verò hanc consuetudinem *Bodin. l. 1. c. 4.* san-
ctissimè defendi dicat, multisq; argumentis reducendam es-
se disputet, imò persuadere conetur, parentibus tantam adhuc
concedendam esse potestatem, ut in liberos ad sanguinem
usq; sævire possint.

Nihilò tamen minus nos ab eodem recedentes, Jus illud
Parentibus tributum esse injustum ostendemus.

Repugnat enim *I. Mandato Dei prescripto*, idq; duplici-
ter, tum *Generali*, quinto nimirum Decalogi præcepto: Non
occides, quod ita generale est, ut se ad parentes etiam exten-
dat, vindictamq; omnem privatam prohibeat. Qui enim
tollit genus universaliter, cum quoq; omnes ejus species tol-
lere oportet, quod ex Logicis patet, tum *Speciali*: quia Deus
Proverb. 19. v. 18. expressè hortatur parentes singulos, ne
forte irâ commoti vitæ filiorum vim inferant.

II. Mandato Dei Inscripto: quia Natura potestatem paren-
tibus dedit vitæ potius tuendæ, quàm tollendæ, juxta regu-
lam Ictorum.

Siquidem natura appetit sui conservationem, & secun-
dum *Scal.* unicuiq; enti insita est appetitio infinitatis & eterni-
tatis:

ratis, quam cum in individuo præstare non possit, speciei propagatione consequitur.

Jam, si Pater gauderet internecione filij, qui fieri posset, ut conservationem sui appeteret, quin potius sui destructionem quæreret? Parentes enim substantiam suam liberis communicârunt, ita ut liberi caro carnis Parentum sint, & dicantur. *Christ. Matth. l. 1. Syste. Pol. p. 145.*

Unde rectè Adrianus Augustus dixit: Privatim filium occidere, non parentis, sed latronis est.

III. Repugnat etiam *Naturali Pietati*, in quâ Patriæ Potestatis Jus consistere debet, non in atrocitate, ut dicitur *l. divus Adrian. 5. ff. ad leg. Pomp. de Parracid.*

Nihil enim crudelius & magis inhumanum, quàm in proprium sanguinem, & viscera sævire. Omnem eum exuerè humanitatem, scribit *Arnif. Rel. Pol. l. 1. c. 4. p. 246*, & amorem tum sui, tum liberorum à naturâ insculptum, qui supplicium de suis ipsius membris sumere non veretur.

Et majorem, idem asserit p. 242, amorem imperat natura parentibus erga liberos, quàm ut sanguine illorum manus conspergere sine sacrilegio possint.

QUÆSTIO. III.

Virum Patria Potestas Matri etiam competat? D.

Cum Parentum appellatione veniant Pater & Mater, & Parentibus debeatur obedientia, non immeritò quæri potest; Utrum Mater etiam potestatem habeat in liberos?

Huic ut quæstioni satisfiat, breviter, relictis, quæ in utramq; partem adduci possunt, rationibus, distinguimus cum *Giphan. in Antinom. Jur. Civ. disp. 3. p. 56. & Libench. coll. pol. Exer. 4. q. 2. p. 105.* inter *Potestatem Naturalem & Civilem*:
Illam

022
Illam quod attinet, dicimus Jure naturali & divino tam ma-
tri, quam patri competere, quia in Sacris idem honor, ea-
dem reverentia matri, quæ patri debetur, attribuitur, utpote
4. Decal præcepto, & Prov. i. v. 8. Jure etiam naturali æquum
est, parentibus obedire. Quod ad Hanc, Patri tantum com-
petit, quia is principium totius generationis, & auctor vitæ
est, imò & ipsam uxorem in potestate habet; unde etiam ex-
pressè dicitur §. ult. *Inst. de P.P.*

Qui ex te & uxore tuâ nascitur, in tuâ est potestate, non
verò in uxoris tuæ est potestate. Atq; sic potestatem Na-
turalem, quàm cum patre communem habet Mater, Jus
Civile non aufert; nam, cum Jus Naturæ sit immutabi-
le, matri illa potestas manet perpetua. Nec verò est,
quod cogitet quispiam, decedere hinc aliquid à reverentia &
honore matri debito, cum potestas Civilis hunc minimè
tollat, sed Patri prærogativam saltem in liberos permit-
tat.

Neutiquam igitur Reverentia matri debita ad Pa-
triam potestatem est extendenda. Libenth. ibidem.

QUÆSTIO IV.

*Virum Filius in Magistratu constitutus
Patri privato su præfere-
ndus? - D.*

Egregiè quidem canit Horat. l. 4. *Carm. od. 4.*

Fortes creantur fortibus, & bonis

Est in juvenis, est in equis Patrum

Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam.

Sed regula sæpè fallit. Quemadmodum enim sæpius fit,
ut foetus generosissimorū virorum in aliquod devoluti dedec
acceptum

acceptum à majoribus splendorem obfuscent; ita è contrario haut rarò evenit, ut è parentibus plebeis & obscuris prognati ad summa dignitatum fastigia evehantur. Ut in Socrate, salutato à Cic. l. 5. Tus. 9. Philosophiæ Princeps, qui patre lapidario & matre obstetricè natus, videre est teste Laërt. l. 2. de Vic. Phil. c. 7.

Quod cum sit, quærimus, si Filius in sublimitatem honorum fuerit elatus, & jam Magistratus gerat clavum, Pater verò homo sit privatus, utrum talem parentem honoribus antevertat, nec ne?

In quo determinando inter Scyllam & Charybdim navigare videmur. Ast enim verò in medio tutissimi ibimus: si nempe limitationem subsequenter probè observaverimus: Dicimus itaque, ex Christ. Matth. Syst. Pol. l. 1, ex. 2. 5. 2. q. 2. Parentem & filium dupliciter considerari.

Vel enim uterq; consideratur ut *Persona privata*, & sic filius patri, quâ patri, semper præstare obedientiam tenetur, modo ipsius mandata LL. divinis & honestati non sint adversa. Vel pater est *persona Privata*, filius verò *Publica*, & sic filius duplicem considerandi modum habet. Versatur enim in Actibus vel Publicis vel Privatis.

In *Publicis* congressibus filius quando versatur, meritò honoribus Patri præferendus est, non habitâ Patriæ potestatis ratione. Tum enim magistratus representat personam, unde reverentia hæc non personæ, sed officio exhibetur. Filius etiam, quâ Magistratus, Patrifamilias habet locum, imò parentem suum ut subditum cogere potest.

In *Privatis* verò Jus domesticum observatur, publici honores cessant, naturales & genuini exoriuntur, & sic filio Pater meritò præfertur, & ratio est, quia illa Patria potestas est privata. Arnis. in Rel. Polit. l. 1. c. 4. p. 354. & seqq. Idem hoc approbant Gell. l. 2. Noct. Attic. c. 2. & Guazz. de Civil. Convers. l. 3. p. m. 526. Besold. l. 1. Pol. c. 10. §. 4.

Addimus tamen his ex Clariss. Dn. Jacobi Mart. Cent. 3. d. 2. q. 10. in arbitrio filij esse positum, imò signum fore plenum

num humanitatis & benivolentia, subditum hunc parentem suum, ut ut etiam circumstantia postulaverint, accersere, eiq; eminentiorem locum tribuere, quod in sacris Salomon. 3. Reg. 2. v. 19. in profanis Heliogabalus erga matres fecisse leguntur. *Promt. Exempl. par. 2. praecept. 4.*

QUAESTIO, V.

Virum Parentum consensus ad matrimonium à liberis contrahendum necessario requiratur? A

Antequam ad hanc quaestionem respondeatur, praesupposita haec volumus 1. Consensum nos hic sumere, pro expresso & tacito. Nihil enim refert, expressè parentes consentiant, an tacitè. Nam & qui non contradicit, aut non evidenter dissentit, consentire intelligitur. 2. Quando asserimus consensum parentum de necessitate requiri ad nuptias, nos in ea sententia non esse, quasi ille causa sit formalis matrimonij, sed causa efficiens proxima. 3. Distinguendum esse inter matrimonium contrahendum, & contractum. Interposita sua auctoritate Parentes dissolvere possunt matrimonium futurum, sive constituendum, non autem ratum & constitutum, nisi tamen filius vel filia conjugium injerit cum personà inhonestâ, tum enim haut dubie à parentibus contractum etiam matrimonium rescindi potest, ut rectè monet *Brederod. in Anal. ad tit. Inst. de Nuptijs.*

His ita praemissis jam respondemus: consensum parentum esse necessarium. 1. *Ex jure Divino.* Deus in quarto praeccepto à liberis exigit, ut parentibus suis debitum honorem & obedientiam in casibus quibusvis legitimis exhibeant, unde ita argumentari licet,

B

Si

Si honor debitus Parentibus in omnibus legitimis ca-
sibus à liberis est præstandus, sequitur etiam, in conjugio illum
præstandum esse. Quia conjugium est actio politica & divina
conjunctio. *Gen. 2. v. 22.*

Sed verum est prius: E. & posterius. Et ita ex consequen-
ti consensus Parentum ad matrimonium liberorum contra-
hendum de Iure Divino est necessarius.

II. *Ex Jure Nature.* Naturalis ratio suadet Parentes in matrimo-
nio colendos esse necessariò, quippe connubia, quæ invitis vel
desertis parentibus ineuntur, non sunt firma & felicia *Richt.*
axiom. Oecon. 59. Tristem etiam & infelicem vite exitum sortiū-
tur, qui illicitos suos amores caritati parentum anteferunt *Sa-*
bin. in 4. Metamorph. Unde nullum evidētius signum est impiæ
mentis, quàm neglectio & contemptus parentum. *Richt. axiom.*
Oecon. 44. & seq. Cum itaq; filij inscijs parentibus matrimo-
nium contrahunt, omninò sunt ingrati, & parentibus suis im-
morigeri, subducentes se eorum potestati, quos his Deus &
Natura præfecit. *Christ. Matth. lib. 1. Syst. Pol. s. 3. q. 4.*

III. *Ex Jure Civili:* In princ. *1. 10. l. 1. Inst.* laudatissima
Lex Iustiniani Imperatoris extat, quæ ita sonat: Iustas autem
nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præ-
cepta LL. coeunt, masculi quidem puberes, fæminæ autem viri
potentes, sive patres familiarum sint, sive filij familiarum, dum
tamen, si filij familiarum sint, consensum habeant parentum,
in quorum potestate sunt. Nam hoc fieri debere & Civilis & Na-
turalis ratio suadet in tantum, ut iustus parentis præcedere de-
beat. Rationū hujus consensus addit *Rorholt de Grad. p. 39. &*
Naturalis, inquit, suadet, quoniam æquū est, ut parentes, qui ad
illam usq; ætatem liberos educârunt, hoc honoris habeant, &
matrimonio consentiant: Civilis, quia liberi in patria potestate
sunt, Ac in tantum parentū consensus est necessarius, ut respõ-
sum sit, nuptias inter easdem personas, nisi volentibus parenti-
bus, renovatas non haberi iustas.

IIII. *Ex sanâ Ratione:* Si matrimonium, ad quod con-
sensus parentum accessit, est verū, legitimum & ratum, congruus
itq;

itq; cum Iure Divino, Naturali, & Civili, sequitur è contrario, illud matrimonium, ad quod consensus parentum non accessit, & reclamantibus invitisq; contractum est parentibus, esse illegitimum mendax & falsum, idemq; pugnare cum Iure Divino, Naturali & Civili. Oppositorum enim opposita est ratio. Sed verum prius: E. & posterius. *Cbrist. Matth. l. 1. Syst. Pol. s. 3. q. 4. Besold. l. 1. Pol. c. 10. S. 5.*

QUÆSTIO VI.

Virum Pater filium possit exheredare, qui absq; ipsius consensu uxorem duxit? D.

Ex hypothesi, quam tertio loco quæstione antecedente posuimus, satis liquet, distinctè ad hanc quæstionem esse respondendum; scilicet Patrem filium, qui absq; consensu ejus uxorem duxit, nullo modo exheredare posse, si ad *Personam honestam* se applicarit. Quia hæc causa inter 14. illas causas, propter quas exheredari à parentibus liberi possunt, non invenitur, *Novell. 115.*

Si verò ad *Inhonestam & Infamem* personam se applicaverit, rectè exheredatur. Pertinet enim ea res ad infamiam, & familiæ dedecus. Videatur *Borch. de Grad. p. 71.*

COROLLARIA.

I. Sumtus in studia utiliter à filio factos, mortuo Patre, in divisione bonorum, cum Fratribus & Sororibus idem conferre non tenetur, quamvis id fortè pater in rationes retulisset. Quam sententiam multis probant *Giphan. in Antin. Lang. in Cent. quest. Jurid. Hiller. in de Expensis studiorum. & alij.*

II. Major dilectio Matri, quam Patri debetur. Quia ante par-

B 2



te partum Onerosa, in partu Dolorosa, post partum Laborio-
sa. Videatur *Casus in Thesau. Oecon. l. 1. c. 3.*

III. Parentes à liberis in secundâ Personâ non sunt com-
pellendi, quod in plerisq; locis fieri solet. Honori quippe pa-
rentum & auctoritati, dum hoc fit, multum videtur dece-
dere.

IV. Mater suo potius proprio lacte, quàm nutricum in-
fantem alere tenetur. Constat enim ex ijs omnium o-
ptimè nutriri, & conservari, ex quibus
res constat.



Προσφώνησις ad Dñ. Respondentem.

JURA Potestatis - Patria disquirere tentas.
Grator proposito IAN - FRIDERICE tuo.
Perge tuis studiis majora dare incrementa,
Gratus eris Patri: Gratus eris Patria.

M. Erasmus Schmidt,
Græc: & Mathem:
Prof: VVitteb.

Meo



Meo Amicissimo Respondenti,

JAN-FRIDERICE probo hoc / strenue da tem-
pora Musis,
Et venerare tuum cum Genitrice Patrem.
Sic tibi contingent placati hominesq;, Dijsq;,
Et post hanc vitam, crede, beatus eris.

Animo gratulabundo

Ecci

Alexander Schieck à Rein-
storff Nob. Misn.



Aliud.

Cell pretiosa bono gemma effulgescit in auro.
Nobilitas literis sic decorata nitet.
Nosti hoc RESPONDENS, dum quod tibi stemma paternum
Cessit habere decus, ampl. fic are studes:
Sedulus ex spatians per castra Politica doctus,
Bella moves armis: Bella moveto diu
Talia, sic magno gaudebit Patria fructu,
Sicq; Genus literis ampl. fic are potes.

Φιλίας Ένεκα
scripsit

M. T. H. praeses.
B 3

717





שיר תהלור

גר כפי צדו חשכל וחכמה
 אגר פרי כקצורכו תכונה:
 אמנם חכם לך פרו מחריו
 אגר ואכל אתו כזקניו:
 כל-הללו כז חכם על תכונה
 כל-אהבו את משכיל כחכמה:
 רעי פרי אספת פכחרי
 על-כז תכבר תאכל פזקני
 יהיה לאפיו רעי הוא לשמחה
 יהיה לאמו רעי הוא תהלור:



Φιλαδελφίας Ένεκα Ε.

Valentinus Tindelius
Cremnitio - Ungarus.



Nobilissimo ac Eruditissi-
 mo Dn. Respondenti, amico &
 Fautori meo ut optimo, ita pra alijs
 aeternum colendo.

*Q*uipot erit charos revereritè parentes,
 Huncce beare volet tempus in omne Deus.

Hoc



Hoc sea vester amor IANVS & Musa modulantes,
 Quàm didicit bellè, ex hocce videre licet.
 Devote proprios Genitores ipsius honorat,
 Singuli ut id faciant, disputat ipse, suis.
 Ne tamen in rabiem coeat patrumq; potestas,
 Ponitur hic prudens cautio macte, tua.
 Pergere sic satagens Bock tandem in vertice summo
 Virtutis sedens, letus honore. Vale.



Sueticè sic vertitur:

GOD faar oh Modher ährer/
 Thet samia andra lährer/
 Then warder wälsignat wäl/
 Aff Gudhi eill lüff oh Siäl.
 Thet Skeer rigt och Juncker Bock/
 Effter tu som een sohn Smock/
 Tyne föräldrar föra/
 Bewiser tienst och ähra:
 Rådher och vcht gemeen/
 Thet föräldrer huar och een/
 Woot Sijn barn förligh blüffua/
 Och ej tjranni drüffua.

L. Mq; gratabar
 Petrus Tybelius
 Suecus.

F I N I S



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Specie hie veteris

Faint, illegible text in the middle section of the page, possibly bleed-through.

L. M. G. G. G.
Petrus Tybellius
Gucco

F. I. M. A. 2



05 A 848

ULB Halle
003 768 112


3



UO 99







B.I.G.

Farbkarte #13

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	---------	-------	---------	-----	--------	-------	------	------

ONES ALL-
 OLITICÆ,
 NTUM
 ROS PO-
 ATE,
 as
 JUVANTE,
Facultatis Philoso-
lustris Wittebergensi
probante,
 RESIDIO
diquaq, Literatissimi,
 HERMANNI
 ejusdem Facultatis
 gnissimi,
ndas exhibet
 ERICUS BOCK,
 dorff.
n auditorio Majori.
 ERGÆ
 TUS BORECK,
 DC. XX.